



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 71. Ægidius le Maitre seu Magister mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

merbachius Basileæ Anno Christi mil-  
 lefimo quingentesimo sexagesimo se-  
 cundo, postquam annum ætatis suæ  
 sexagesimum septimum expleverat, se-  
 pultusque est in parva urbe in quodam  
 Carthusianorum cœnobio, ubi ante vi-  
 gesimum mortis suæ annum jamjam  
 Patris, ac Matris suæ, necnon suæ uxo-  
 ris, ac filiorum, & denique proprium  
 Epitaphium concinnaverat.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1562.

§. LXXI.

*Ægidius le Maitre, seu Magister  
 mortuus.*

Nec minus in Galliis jurisprudentia  
 celebris erat *Ægidius le Maitre, seu*  
 Magister, qui pariter hoc anno die  
 quinta Decembris mortalitatem exiit,  
 annos natus sexaginta tres. Patrem  
 is habuit Godefredum Magistrum Cin-  
 cehurum, Matrem vero Catharinam  
 Freminam, suæ autem juventutis an-  
 nos forensibus caulis dicabat, quo in  
 munere sibi eximii Oratoris, ac celeberrimi  
 Jurisconsulti nomen comparabat:  
 quapropter Anno salutis nostræ millesimo  
 quingentesimo quadragésimo a Fran-  
 cisco I. Galliarum Rege officio Regii  
 Advocati honorabatur: decimo autem  
 post anno Henricus II. in obsequii, tam  
 sibi, quam Patri suo Regi præclare præ-  
 stiti præmium, eundem primo Curix

Thuan. l. 38.  
 circa finem  
 Spond. hoc  
 ann. n. 54.

*Hist. Eccles. Tom. XLV. A a a in-*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

inferioris, denique supremum Regii etiam Parisiensis Senatus Præsidentem Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo nominabat, ubi iniquo ævi sui fato cruentas cernere cogebatur factiones, quæ sub purioris doctrinæ obtentu totum Franciæ Regnum fus, deque vertebant, nec tamen promissa, aut minæ, imo nequidem exili, mortisque metus unquam ejus constantiam labefactare, aut illum impedire poterant, quominus Regni utilitatem usque ad postremum vitæ suæ habitum procurare studeret. Tandem lecto ob ægritudinem affixus est, dum percepto per urbem discurrentium strepitu tantum inde conciperet pavorem, ut se a Calvinistis peti ratus mox e vivis excederet: porro sepultum est Corpus ejus Parisiis in Ecclesia Fratrum Minorum, ubi hodie illius, necnon uxoris suæ Mariæ Sapinæ, quæ Joannis Rozerii filia erat, statua visitur unacum effigie Brotechii Turoniensis supremi in Occidania Tributorum Exactoris. Mortuo Magistro inter ejus scripta reperiuntur, ac dein publicabantur eximie illius de subhastationibus, regalibus in Sacerdotia juribus, & de *appellationibus*, uti vocant, *ab abusu* decisiones, quæ pro probatis sententiis ubique in cunctis Regni tribunalibus habentur, tantique

que viri laudabilem memoriam in ani-  
 mis Gallorum hominum intermori non  
 finunt: porro in ejus locum Christo-  
 phorus Thuanus Jacobi Augusti Histo-  
 rici Pater a Carolo IX. ad Reginæ Ma-  
 tris suæ preces primus Pariliensis Cu-  
 riæ Præses nominatus est.

Sæc. XVI.  
 A.C. 1562.

§. LXXII.

*Bartholomæi Cavalcantii obitus.*

Die nona Decembris hoc item anno  
 Bartholomæus Cavalcantius Flo-  
 rentinus anno ætatis suæ quinquagesi-  
 mo nono decessit; anno enim Christi  
 millesimo quingentesimo tertio primam  
 lucem aspexerat, ex nobili familia  
 progenitus, quæ olim etiam Guidonem  
 Cavalcantium Francisco Petrarchæ ex-  
 cellentissimo Poetæ, ac Philosopho sui  
 ævi celeberrimo coætaneum dedit.  
 Ceterum Bartholomæus adhuc juve-  
 nis e patria profugus Romam secessit,  
 ubi egregia liberalium artium cognitio-  
 ne instructus præclaram maximis in ne-  
 gotiis opem Paulo III. Papæ, & Octa-  
 vio Farnesio ejus Nepoti suis consiliis  
 oppido salutaribus præstitit, pariterque  
 Henrico II. Franciæ Regi in Senensium  
 causa, quamdiu Francorum armis pri-  
 stinam suam libertatem tueri huic Rei-  
 publicæ licuit, utilem operam impen-  
 dit: insuper plura alia maximi mo-  
 menti

Thuan. l. 34.  
 Pocciante  
 de Script.  
 Florent.